



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro  
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad  
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones  
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

**Dusault, Nicolas**

**Coloniæ Agrippinæ, 1660**

§. 3. Propositum auctoris hoc 3. libro.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

tum: tam debile ut levissimo flatu exingatur: tam denique sterile ut non nisi fumum pariat. Pari prorsus ratione omnis mortalium gloria & pompa tenui pendet filo vitæ brevis & caducæ, & temporalium bonorum in quibus mortales suam omnem collocant fiduciam. Idcirco omnis iste splendor tam momentaneus est ut nec delectet nisi infirmos oculis nec percipiatur nisi à carnalibus mundi amatoribus: exiguo adversæ fortunæ flatu evanescit & resolvitur in fumum vanissimæ honoris. & quod his omnibus magis deplorandum censeo. simul ac apparet, perit, cum occiditur, occidit, velut cereus, ubi accenditur, manuitur, & sua se luce consumit.

## §. III.

*Propositum autem in hoc libro Tertio.*

**H**Æc est igitur differentia quæ intercedit inter duplex isthuc hominum genus quam hoc libro tertio conabor ostendere per ipsorum fiduciæ effectus, qui non minus diversi sunt & sibi invicem oppositi, quam illæ ipsæ res quibus innituntur, nimirum Dei veritas & mundi vanitas. Potissimum tamen agam de effectibus fiduciæ in Deum; alterius siquidem effectus facile innotescunt tum per causas à quibus producuntur, tum per effectus



narum à quibus recipiuntur, conditione. Proinde sufficet hic obiter notare nihil mundo esse imbecillius, nihil fallacius, iis vero qui illi credunt, nihil cæcius, nihil miserabilius: tametsi magna pars hominum non illi fidit solum, verum etiam cōsulit velut oraculum, colit ut Deum, nec corpori nec animæ parcat, ut illi placeat. Cujus spe boni? Veri nullâ: tandem deceptio: merces est laborum. O illusio! ô deploranda rationis atque iudicii jactura. Omnem operam atque industriam adhibent, diu noctuque mundo laborant & laborando corporis animique vires exhauriunt; quo verò fructu? Tyrannum sibi constituunt à quo proplæclare gestis, pro fortiter toleratis ludibria recipiant, exilia, ac sæpenumerò mortem ipsam, nunquam certè mercedem tantis laboribus parem. De quibus verè dici potest illud Aggæi: *Seminastis multum, & imulistis parum: Comedistis & non estis satiati: bibistis & non estis inebriati: operuistis vos & non estis calefacti: & qui mercedes congregavistis, misit eas in sacculum persusum, c. 1.* Quid est hoc aliud quam telas araneorum texere, quæ flante vento rumpuntur, nec prosunt nisi ad capiendas muscas. Denique aptissimè comparantur hujusmodi homines ardenti lucernæ aut candelæ quæ absument seipsam, impor-

L 5 tunc



tuno stridore obstrepit iis quos illuminat, fulgine inficit atrectantes, fumo excrecat oculos, extincta modico afflatu nares implet gurgulenti foetore.

## CAPUT I.

*Fiducia in Deum effectus primus Veritatis in anima.*

**P**rimus effectus quem divina hæc virtus producit in animâ illam possidente, appellatur à S. Paulo *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum.* ad Phil. 4. Nihil hac pace futurum, nihil stabilius; quippe quæ ex Deo, quæ est ipsa dulcedo, promanat, & in Deo funditur qui est ipsa stabilitas. Paucis multa complexus sum, sed operæ pretium me facturum arbitror, pro huius virtutis merito, si paulo fusius de eâ disseram ut concipiatur melius & ametur ardentius. Et quæ hæctenus de ea ex occasione dixi, solum obiter & cursim attigi, ad alia properans; hîc verò tamquam in loco proprio pluribus de eâ agendum & particulatim pertractandum est declarando nullo & illustrando Sacræ Theologiæ splendore, rationis naturalis lumine, Sanctorumque Patrum doctrinæ luce.